

a mortuis, et ascendens in coelum. Ante autem spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus. Et clamat Phropheta: Quousque graves corde? ut quid deligitis vanitatem, et quaeritis mendacium? Et scitote, quoniam Dominus mirificavit Sanctum suum. Clamat quousque? clamat, scitote. Et ego tamdiu nesciens vanitatem dilexi, et mendacium quaesivi; et ideo audivi, et contremui: quoniam talibus dicitur, qualem me fuisse reminiscebar. In phantasmatis enim, quae pro veritate tenueram, vanitas erat, et mendacium. Et insonui multa graviter et fortiter, in dolore recordationis meae. Quae utinam audissent, qui adhuc diligunt vanitatem, et quaerunt mendacium, forte conturbarentur, et evomissent illud; et exaudires eos, cum clamarent ad te; quoniam vera morte carnis mortuus est pro nobis, qui te interpellat pro nobis. Legebam: Irascimini, et nolite peccare. Et quomodo movebar, Deus meus, qui jam didiceram irasci mihi de praeteritis, ut de caetero non peccarem! Et merito irasci, quia non alia natura gentis tenebrarum de me peccabat: sicut dicunt, qui sibi non irascuntur, et thesaurizant sibi iram in die irae, et revelationis iusti iudicii tui. Nec jam bona mea foris erant, nec oculis carnis in isto sole quaerebantur. Volentes enim gaudere forinsecus, facile evanescent, et effunduntur in ea, quae videntur, et temporalia sunt, et imagines eorum famelica cogitatione lambunt. Et o si fatigentur inedia, et dicant: Quis ostendet nobis bona? Et dicamus, et audiant: Signatum est in nobis lumen vultus tui, Domine. Non enim lumen nos sumus, quod illuminat omnem hominem; sed illuminamur a te, ut, qui fuimus aliquando tenebrae, simus lux in te. O si viderent internum lumen aeternum, quod ego, quia gustaveram, frendebam, quoniam non eis poteram ostendere, si afferent ad me cor in oculis suis foris a te, et dicerent: Quis ostendet nobis bona? Ibi enim, ibi mihi iratus eram intus in cubili, ubi compunctus eram, ubi sa-